

## Band X., Nr. 4814, Seite 457-459

*Ritter Ulrich von Königsegg beurkundet als Vormund der Kinder Bertholds von Fronhofen die Auslösung der verpfändeten Herrschaft Ringgenburg.*

Kreenried, 1296. März 3.

Omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis Ūlricus de Kúngesege miles tutor . . heredum seu pupillorum quondam Bertoldi de Vronhoven militis fratris sui plenam omnium notitiam subscriptorum. Ne oblivio, que veritati frequenter novercatur, gestis obsistat, expedit ea litteris commendari. Universis itaque et singulis presentibus innotescat, quod cum vir circumspectus Johannes de Ringgenburch miles propter urgentes necessitates suas castrum suum Ringgenburch villas suas Flinzwangen et Ásenhusen cum omnibus pertinentiis earundem scilicet pratis pascuis agris silvis aquis molendinis piscinis utriusque sexus mancipiis advocatiis iuribus corporalibus et incorporalibus et generaliter omnibus aliis, quocunque nomine seu titulo censi possint, bone memorie supradicto . . fratri meo pro tricentis et decem et septem marcis argenti ponderis Constantiensis sub conventionibus infrascriptis vendiderit, videlicet quod, si idem de Ringgenburch vel heredes sui infra tempus novem annorum a tempore ipsius venditionis numerandorum dicto . . fratri meo seu heredibus suis tantundem pecunie superius nominate presentaret dicta bona repetendo, tunc omni contradictione cessante generaliter et singulariter omnia predicta per modum reemptionis sibi restituenda forent et modis omnibus reassignanda – confiteor itaque per presentes legitime recognoscendo, quod longe infra tempus novem annorum predictorum dictus . . de Ringgenburch michi tutorio nomine ipsorum pupillorum dictam pecuniam videlicet tricentas et decem et septem marcas argenti sub predicto pondere integraliter presentavit, quas etiam me recognosco recepisse et in utilitates legitimas sepe predictorum pupillorum totaliter convertisse – petens ut iuxta conventiones primas per modum reemptionis omnia predicta sibi reassignare deberem ea in ipsum legitime transferendo. Quod attendens ex necessitate conventionis sibi non posse aliquatenus denegari cum omni sollempnitate iuris et etiam consuetudinis omnia predicta sibi reassignavi ea in ipsum modis omnibus transferendo. Et quia sepe dictus de Ringgenburch post translationem in ipsum factam in honorabiles fratres Ægilwardum provincialem fratrum Theuthonicorum per Alsatiam et Burgundiam ordinis sancte Marie domus Jerosolimitane, Ūlricum de Jestetten commendatorem domus in Maienöwe, Hainricum de Opphingen commendatorem in Alzhusen ordinis predicti pure propter deum castrum ipsum cum omnibus possessionibus et iuribus supradictis perfecto donationis titulo duxit transferendum et

## II

ipsa sollempniter transtulit in eosdem, quare eisdem tam pro me quam pro heredibus cautionem feci fide data nomine sacramenti fideiussoribus nihilo minus infra scriptis ipsis assignatis, quod, cum prefati pupilli ad completam etatem duodecim annorum pervenerint, ipsi et quilibet ipsorum divisim cum primum ad dictam etatem pervenerint infra tempus unius anni a duodecimo anno cuiuslibet pupilli numerandum restitutionem dictarum possessionum dicto . . de Ringgenburch factam et etiam assignationem seu presentationem pecunie superius nominate tutorio nomine michi factam iurati et suis litteris manifestis ratificatione legitima comprobabunt, qua ratificatione seu collaudatione per ipsos facta vel etiam per eos duos masculini sexus pro se et pro tribus . . sororibus suis, cum quinque sint pupilli, cautio per me facta penitus extinguetur, ita quod etiam presentes littere michi sunt reddende. Fideiussores autem sunt hii: Ortolfus de Hasenwille, Eberhardus de Rosenöwe, Cûnradius de Stubun, Bertoldus de Dankratswille milites, Fridericus minister de Kûngesegge et Rûdolfus dictus Wehter. Hii omnes et quilibet eorum fide data nomine sacramenti stipulatione sollempni promiserunt, quod, si ipsam ratificationem ut predictum est per ipsos pupillos fieri seu adimpleri suo tempore non procurabo, ipsi ad commonitionem dictorum fratrum vel alicuius ex eis in civitate Mângen vel Ravenspurch in obstaigium se recipient ab illo non recessuri donec predicta ratificatio fuerit adimpleta. Si vero quisquam ex eis, ne personaliter ipsum servet obstaigium, legitime fuerit impeditus, idem per eque ydoneum ipsum tenebitur observare. Si etiam ex ipsis fideiussoribus ante ratificationem quisquam decesserit, tunc infra mensem per me debet equivalens subrogari, quod si per me factum non fuerit superstites commoniti in obstaigium recipere se debebunt, donec id ipsum per me fuerit adimpletum, et post commonitionem dicti fideiussores indutiis octo dierum gaudere possunt et debebunt. Et in evidentiam omnium premissorum ipsi . . provinciali et . . commendatoribus antedictis presentes tradidi mei sigilli robore communitas.<br> <br> Acta sunt hec in villa Crâienriet, in strata publica, presentibus . . rectore ecclesie in Flinzwangen, magistro Walt. canonico in Bûchöwe, . . dicto Schütterût milite, H. de Rûti et multis aliis fide dignis, anno domini MCCLXXXVI., V. nonas Martii, indictione nona. Ego Ortolfus de Hasenwille predictus ut predictum est fideiussorem me constitui et in evidentiam huius meum sigillum presentibus appono. Ego Eberhardus de Rosenöwe miles ut predictum est fideiussorem me constitui et in evidentiam huius meum sigillum presentibus appono. Ego Cûnradius de Stuben miles predictus ut predictum est fideiussorem me constitui et in evidentiam huius meum sigillum presentibus appono. Ego Bertoldus de Dankratswille miles prefatus ut predictum est fideiussorem me constitui et in evidentiam huius meum sigillum presentibus appono. Nos etiam Fridericus minister et Rûd. dictus Wehter antedicti fideiussimus ut predictum est et quia propria sigilla

### III

non habemus sigillis predictorum contenti sumus.

—

Textabdruck folgt dem Original.<br> <br> Von fünf Siegeln noch die ersten drei erhalten. 1) Ulrichs von Königsegg, s. WUB, Bd. VIII, S. 203, Nr. 2933. 2) schildförmig, c. 42, 40 mm., Doppelhaken; Umschrift: . . S . ORTHOLFI . DE . HASEN . . . . 3) rund, 43 mm., im Schild ein Widder, in den drei Schildecken je eine Rose; Umschrift: . . S . EBERHARDI . DE . ROSENOWE.

## Überlieferung und Publikationen

### Lagerort:

HStA Stuttgart

### Signatur/Titel des Originals:

B 343 U 65

## Weitere Angaben

### Sprache:

Lateinisch

### Ausstellungsort:

Kreenried

### Ortsindex:

Altshausen Wohnplatz (18642) <br> Altshausen, RV <br> Bad Buchau Wohnplatz (17062) <br> Bad Buchau, BC <br> Burgund <br> Danketsweiler Wohnplatz (20916) <br> Danketsweiler, Horgenzell, RV <br> Elsaß <br> Esenhausen : Wilhelmsdorf RV <br> Esenhausen Wohnplatz (20574) <br> Esenhausen, Wilhelmsdorf, RV <br> Fleischwangen Wohnplatz (19419) <br> Fleischwangen, RV <br> Fronhofen Wohnplatz (20999) <br> Fronhofen, Fronreute, RV <br> Hasenweiler : Horgenzell RV <br> Hasenweiler Wohnplatz (20938) <br> Insel Mainau Wohnplatz (14440) <br> Insel Mainau, Konstanz, KN <br> Jestetten Wohnplatz (15481) <br> Jestetten, WT <br> Kreenried Wohnplatz (19413) <br> Kreenried, Eichstegen, RV <br> Königsegg Wohnplatz (19468) <br> Königsegg, Guggenhausen, RV <br> Mengen Wohnplatz (21164) <br> Mengen, SIG <br> Opfingen Wohnplatz (7731) <br> Opfingen, Freiburg im Breisgau, FR <br> Ravensburg Wohnplatz (20120) <br> Ravensburg, RV <br> Reute Wohnplatz (20585) <br> Reute, Wilhelmsdorf, RV <br> Rosna Wohnplatz (21166) <br> Rosna, Mengen, SIG <br> Stuben Wohnplatz (18647) <br> Stuben, Altshausen, RV